

sed exiguarum multitudo prorsus inexplicabilis. Quod etiam ante Telescopiorum inventionem, *Democritus* apud *Plutarchum*, *Ptolomæus* & *Albertus Magnus*, rationibus probabilibus affecuti sunt. Cùm enim in quibusdam spatii infiniti immensi, (ut ita dicam) Regionibus (puta quoad istas stellas; nam spatium per se in nullas regiones dividi potest) congeries quædam vel cumulus acervatim confertarum stellarum minorum exstiterit (quia Deo placet variatione rerum omnipotentiam suam eò magis demonstrare) proinde nec, ceu majores, in majoribus spatiis dispersæ, sed proximiores inter se invicem sitæ sint: Earum autem (propter ingentem à nobis distantiam) Systemata, unà cum affinibus Circum-erronibus (qui nempe semper suis involuti sunt aëreis Sphæris) valde minuuntur & coarctantur, ut stellam ipsam, aëribus suis quasi cir-

cumdent vel tegant, atque sic nobis obscuras nebulosasque reddant.

Tandem quod concernit stellas, quæ dicuntur Novæ, illas omnes ad Cometarum familiam tanquam à Planetarum aëreis effluviis, seu atmosphæris existentes & ab eis in eorum Sphæris motu periodico derelictas, ablegamus; Siquæ enim veræ novæ stellæ in regionibus Fixarum generentur, inque nostrum visum venirent, non tam cito interirent, sed semper manerent. Non itaque illæ, & quidem remotissimæ quæ nobis apparent, ultra Saturni Sphæram longius attollendæ sunt, etiam si quidem dum eas intuemur, sensu judicemus situm earum esse inter Fixas, tamen quando rem mathematicis fundamentis consideramus, facilè cogitandum, has, illis reverà multis semidiametrorum Terræ millibus esse altiores; vide quoque *finem cap. II. in anteced. lib. 6.*

*De Stellis  
quæ dicuntur  
Novæ.*

## CAPUT III.

## De Stellis Fixis, Quid nimirum sint.

*Corpora  
Mundana  
sunt Tripli-  
cia.*

*Stella Fixa  
per se lu-  
cent.*

**C**ORPORA Mundana, per cap. 7. lib. 6. sunt triplicia, Solaria scilicet, Planetaria ac Lunaria; inter quæ, Solaria per se lucent. Quod autem Stellæ Fixæ per se luceant, nec lumen à Sole recipiant, constat 1. Ex ingenti Distantia, inter eas & Solem nostrum, ita ut per caput antecedens 1. proximior nostro Soli stella Canis major scilicet, ad minimum distet 606000 semidiametros Terræ; Unde Sol non aliter videatur, si quis in Canine majore esset, quam ille hic in Tellure à nobis videtur, ut demonstratum est cap. antec. 2. Canis autem major nec nobis, multo minus nostro Soli lumen impertiri potest; Ergò nec Sol Cani majori, multò minus omnibus Fixis: Quod & confirmat *Pat. Ant. Reita in lib. 4. Oculi Enoch & Eliæ*, dum ait: *Impossibile namque censeo, stellas à nostro Sole illuminari magis posse quam ipsum nostrum Phæbum ab illis. Quid enim obscuro Lux Canis majoris Telluri nostræ, noctis caligine vestitæ præstat? quid lucis affert densissimis nostris tenebris?*

2. à Scintillatione earum; quæ nihil aliud est quam celerrima circa proprium centrum conversio; Sicut enim Sol noster continuè ac celerrimè se circumrotat, *de quo diximus cap. 8. dict. lib. 6.*) sic circa propria centra convertunt se omnium stellarum machinæ, unde oritur scintillatio. Quod etiam censuit *Plato* & approbat *Pat. Raphael Aversa quæst. 34. de Cælo, sectione 3.* Cùm enim per raptum celerrimum, circumferentiæ earum ad oculos nostros semper aliæ atque aliæ perveniant, & circuli exteriorum partium lucentium nunc contrahi nunc extendi magis minusque percipiuntur: Hinc illa saltationis species, quæ igneorum Astrorum proprium est, quia motu lationis carent, itaque se per motum vertiginis & quidem incredibiliter celerrimum conservant. Et quamvis Scintillatio earum nobis videatur inæqualis, aliæ enim magis aliæ minus scintillant, causa oboritur, tam à varia & nimia distantia, quam situ eorum corporum vario. Omnes autem scintillant, juxtaque sua centra perpetuò

*Scintillatio  
Fixarum.*